



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Abbates Aliqvot, Ac Gesta Notabiliora apud Monasterium  
VVeichenstephense.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

pter vicinitatem loci maior potest ex eis vtilitas prouenire &c. Dat. in Lands-  
but an. 1287. proxima sexta feria ante festum B. Viti.

## WEICHENSTEPHEN.

**M**ONASTERIUM ord. S. Benedicti, positum in excelso monte prope Weichsant  
Frisingam, vbi olim fuisse dicitur castrum Pipini, Galliarum & Aleman-  
niae Regis, in quo postea etiam Carolomanus habitauerat, mons ille dictus  
Termons siue Thetonis mons, cuius ampliss. fossae arcis magnificentiam adhuc  
hodie satis ostendunt. Hoc castrum postea anno 746. à Marfilio Sueuorum Re-  
ge euersum esse, Historia Monasterij habet. Sed Auenr. lib. 3. fol. 393. 394. memi-  
nit Landfridi & Diepoldi Ducum Sueuicæ, & quod cum Vilone circa Lycum,  
multa bella gesserit, sed de Marfilio Rege & de vastatione Castrum Termons nihil.

Weichsant  
Peter's side  
S. Petri com  
secratis

In hoc loco Hitto Eps Frisingensis constituit Præpositum cum Sex Cano-  
nicis circa an. Dñi 830. post annos verò 200. Imperante Diuo Heinrico secundo,  
Egilbertus Eps Frisingensis, de familia Comitum Mospurgen. eundem. Præpo-  
situm cum suis Canonicis transtulit in Umbilicū Montis ad Monast. S. Viti quod  
ipse fundauit, & loco ipsorum instituit ordinem D. Benedicti, & Monasterium,  
S. Stephani Protomartyris construxit, circa annum 1021. constituto ibi 1. Ab-  
bate Arnolpho. Episcopus Hitto sepultus est in Ecclesia Cathedrali in crypta,  
transtulit Frisingam corpora Alexandri Papæ & Martyris, Iustini Cardinalis &  
Nonnosij Monachi, de quo scribit beatus Gregorius in Dialogis. Imperator  
Hainricus S. donauit Monasterio Weichenstephen, ad preces Egilberti Episcopi  
castrum Saxaganckh in Austria cum suis attinentiis, pro quo Engelbertus pæ-  
commutationem Monasterio dedit villam Hegelhausen. in Diplomate Hain-  
rici Imperatoris sunt hæc verba; partem cuiusdam Insulae Sahsonaganc, &c. in  
ptouincia Orientali & in Marchia Adelberti Comitis sita, Anno Domini, 1021.  
ex libro traditionum Ecclesiæ maioris Frisingensis, vbi etiam hæc verba sunt  
addita; Ad Mon. S. Stephani protomartyris ab eodem Episcopo Engelberto cō-  
structum, pro anima dicti Episcopi Engilberti plures Comites ac Nobiles dede-  
runt prædia sua ad Altare sancti Stephani in hoc Mo: vt puta Nobilis homo Ge-  
roldus Comes, Item Gumpoldus Comes, Vdalscalcus Comes, Altannus Comes,  
Item quidam nobilis Vir Sigibolt. Item Adalbero Comes, qui dedit Hubam ea  
lege, vt nulli concederetur in beneficium; quod si fieret, tunc deuolueretur ad  
Monast. Eberspergen. Fortè omnes præd. Comites erant de familia Mospurgen.  
Comitum. Ex libro fundacionis huius Monasterij,

Auenr. lib.  
4. annalis  
fol. 374.

ABBATES ALIQVOT, AC GESTA NOTABILIORA  
apud Monasterium Weichenstephense.

GERARDVS ex Monasterio Seun assumptus ab Episcopo Frisingensi,  
fit primus Abbas.

ERCHANGERVS VIII. Abbas. Sub hoc Cœnobium incendio periit, p  
negligentiam cuiusdam Monachi; rursus restauratum & consecratum anno  
1095. à Meginhardo Episcopo Frisingensi, qui Erchangerum tandem deposuit,  
post mortem Erchangeri, religio ac cultus diuinus valde in hoc Monast. defecit,  
pauci erant Monachi, Aduocati Monasterij non faciebant suum officium; Do-  
nec Otto Episcopus sub Abbate Sigmaro Monast. reformauit ac restaurauit.

ALTO XVI. Abbas. Sub hoc secundo concrematum est Cœnobium, in Ma-  
io, an. 1197. Ob id Alto resignauit, cum xv. annis præfuisset,

ANNO

Anno 1200. & sic in ipso Iubileo, sub Eberhardo Abbate XVII. dedicatum est Monasterium hoc, à Venerabili Conrado Moguntino & Sabinen. Episcopo, cooperante sibi Ottone secundo Frisingense Episcopo, in honorem S. Michaëlis Archangeli, & Stephani Protomartyris.

Anno 1241. sub VDALRICO tertio, Abbate, XXI. Prid. Non. Octobr. tanta Solis Eclipsis facta, vt claræ stellæ in Cælo apparerent, etiam medio die. Sequenti anno Claustrum Dominarum, quod à prima fundatione huius Monasterij vnà cum Hospitali pro pauperibus coniunctum erat, combustum est, in festo S. Leodegarij; & sic tertio exustum est.

Anno 1336. in Autumno Monasterium, cum omnib. intus & extra muros habitis rebus, tam in prædijs quàm in structuris miserè vastatum & spoliatum est, per exercitum 4000. Galeatorum Ludouici Imper: per totam æstatem Frisingæ, & circumquaque commorâtem, & ex altera parte per Hainricum Ducè Landshuetanum, cum suo & Regis Bohemiæ exercitu, 3000. Galeatorum, contra Ludo: Imp: pugnantium. Sed Imperator victor, totam Prouinciam Hainrici Ducis potenter transiuit, & hoc sub Marquardo Abbate,

Anno 1348. in festo Conuersionis Sancti Pauli, sole adhuc lucente, & claro, circa Vesperas, tantus terræ motus circa Frisingam factus est, quantus à Passione Domini neq; visus neque auditus est, de quo Bruschijs de Monast. plura.

LEONHARDVS, XXXVI. Abbas, genere Nobilis, familiam non inuenio, moribus & vita venerabilis. Electus anno 1380. sub Leopoldo Episcopo Frisingensi, & Friderico Duce Bauariæ. Hic Monasterium pristino nitore ac statui restituit, ac ita laudabiliter præfuit, vt secundus huius loci fundator dici meruerit: sedit annis 36. Obiit 1415. Sepultus in Sacello sancti Corbiniani à se condito.

EBERHARDVS, XXXVIII. Abbas, eligitur anno 1417. quo etiam confirmatur, vir corpore ac mente egregius. Hic primus insularum ab Alberto Episcopo Frisingensi, incepit reformationem, vitæ regularis per omnia studiosus, ædificia multa præclare illustrauit & auxit. Ab eo testudines ante portam & in abside Ecclesiæ ad sanctum Andream, cum ipsa turri Ecclesiæ constructæ sunt, auxilio & ope strenuissimi Militis VVilhelmi de Fraunberg, ibi cum suis maioribus sepulti. Interfuit hic Abbas Consilio Basiliensi, vbi sub Infula coram vniuerso Consilio sacra fecit. Sub eodem emptæ sunt Vineæ in Kelhaim &c. Præfuit Annis 32. Obiit 1448. sepultus ante Aram sanctæ Crucis.

IOANNES XXXIX. Abbas concorditer electus & confirmatus anno 1448. Vir discretus, amabilis, largus & pius. Anno 1472. post vespas Turris Ecclesiæ fulmine tacta, intus tota combusta est in die sancti Iohannis & Pauli, perierunt campanæ sex. Anno sequenti in aurora prædicti S. Iohannis & Pauli fulmine tactum est horreum maius Cœnobij, vna cum coherentib. ædificiis, quæ vsque ad tabernam, igne perierunt. Sub hoc Abbate emptæ sunt vineæ in Austria. Præfuit XXXIII. annis laudabiliter ob. 1481. Sepultus ibidem circa Aram SS. Achacij & Mauritij à se constructam.

LEONHARDVS Nagl XL. Abbas, vir sagacissimus, & omni laude dignissimus, qui Abbatiam quasi è fundamentis erexit, verum valetudinis afflictæ, solum triennio præfuit. Obiit anno 1484. Sepultus ante aram sanctæ Crucis.

CHRISTOPHORVS Carinthius, Iuuenis religiosus, doctus & facundus, eligitur anno 1484. Abbas XLI, absens, cum tempore Vindemia in Austria

fr̄ia Cœnobij negotijs intentus esset, tamen reluctans; confirmatus & consecratus est, resignauit post paucos annos, amore studiorum se Bononiã confrens, retenta annua pensione xxxi. florenorum, vbi sacram Theologiam professus, Doctor etiam Iuris Pontificij effectus, in Carinthia in Cella Mariana magnifico Collegio concionator famosissimus extitit, vbi quoque obiit, & sepultus est, anno 1507. Patris ante obitum annis Frisingæ fuit, & magnam pecunię summam Monasterio dono dedit, ad construendam Bibliothecam cum elegantis Sacello B. Marię virginis, cuius bona post obitum ipsius huic Monasterio tradita sunt.

WOLFGANGVS de Weichs Nobilis, resignati Christophoro, à Sixto Frisingensi Ep̄o substituitur, Abbas XLII. Vir senex, gr̄adus, religiosorum amator, & summus fautor huius Monasterij, qui iuuenis vixerat in habitu monastico, apud Melicene Cœnobium in Austria, vnde per amicos quasi vi extractus, à suo proposito reuocatus, habitum ante professionem deposuit, & in Frisinga Canonicus factus, ibi per XL. annos, in seculari professione sacris seruitit. Tandem resignans præbendam fratris filio Degenhardo, ad Monasterium hoc se contulit, omnia faciens, quæ sui ordinis hominem decere, Abbas designatur, multa bona fecit Cœnobio, ambitum testudinauit, & plura alia ædificia renouauit, sacrarium multis ornamentis decorauit & ditauit, obiit anno 1495.

ANTONIVS XLIII. Abbas, vir mansuetus, humilis, pius & largus in pauperes, quorum, præsertim charissimè tempore, nullum à se dimisit abire vacuum. In bello Bauarico passus est cum subditis, magnam exactionem, rapinas & damna, obiit anno 1507.

BENEDICTVS XLIV. Abbas, electus anno. 1507. vir prudens, diligens & bonus Oeconomus, qui multum æris alieni persoluit, passus magna grauiamina & damna. Præfuit annis XI. laudabiliter. Obit 1520.

THOMAS XLV. Abbas, vir doctus, facundus, moribus & vita insignis, electus & confirmatus à Philippo Com. Palatino Ep̄o Frisingensi, anno, 1520. perpeffus grauissimas exactiones, durissimumque iugum propter veredarios, venatores, ac falconum curatores, ferè nunquam non Monasteria onerantes, ob. an. cum præfuisset Monasterio laudabiliter.

In Weichenstephen sepulti sunt nobiles aliqui, de Hagenavv, de Fraunhouen, tem de Fraunberg, & tres Milites de Aitterpach.

### ADDITIONES.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Heinricus* diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si venerabilibus Ecclesiarum Dei locis quoddam largimur beneficij, necessitatesque Ecclesiasticas nostro releuamus iuuamine, id profecto & animæ, & regni nostri saluti prouenire nõ dubitemus. Proinde omnib. Christi nostriq; fidelib. notum esse volumus, qualiter nos ob recordationem & eleemosynam diui senioris nostri *Ostons* Imperatoris Augusti, ob spem quoque diuinæ remunerationis tam nobis quam etiam dilectæ nostræ contectali *Chunigunda* impetrandam, atq; ob fidelissimum venerandi *Frising.* præsulis *Egilberti* obsequiũ amoremq; dedimus quandam partem cuiusdam insulæ *Sahsonagana* dictæ ad Monast. *S. Stephani* prothomartyris in Episcopatu eiusdem egregij Antistitis, ab eodem Præfule constructum, fratribusque inibi Christo militantib. in prouincia scilicet *Orientali*, iuxta *Danubium* & in *Marchia Adalberti* Comit̄is sitan & in his terminis inclusam. A loco enim *Zuncnesprucka* insuper ripam *Danubij*, vsq; in locum *Orta* dictum & inde vsque in *tyl-*

*Metrop. Salub. Tom. III.*